

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4360

Auteur(s) : Jeanne, veuve de Richard Anfrei [particulier]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1284, septembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Jeanne, veuve de Richard Anfrei, vend à l'abbé et aux chanoines de La Lucerne, une rente annuelle qu'elle avait dans la paroisse de Notre-Dame de La Lucerne pour 70 sous tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXLV, p. 130-131.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod ego Johanna, relicta Ricardi Anfrei, defuncti, vendidi finaliter et concessi omninoque dimisi abbatii et conventui de Lucerna, dominis meis, septem solidos et dimidium Turonensium et unam gallinam annui redditus, quos habebam in parrochia Beate Marie de Lucerna, in feodo de la Morinière, videlicet cum Thoma Morin, ratione dimidie acre terre in quatuor peciis existentis, et etiam in tota terra ejusdem Thome, michi ob hoc obligata in solidum, quando dictas pecias feodavi eidem, sitos, tenendos, habendos de cetero ac percipiendos dictis abbatii et conventui ac eorum successoribus a dicto Thoma, aut suis heredibus, libere, quiete, pacifice cum homagio ipsorum et omni jure quod cum ipsis habebam aut habere poteram quoquo modo, ratione predictorum, sine reclamatione mei de cetero et heredum meorum et sine molestacione aliqua, videlicet ad festum Sancti Michaelis dictos septem solidos et dimidium, et ad Natale dictam gallinam annuatim. Et si contra istam vendicionem, a me factam in viduitate mea, venerit aliquis in posterum quoquo modo, ego dicta Johanna aut heredes mei tenemur et debemus dictis abbatii et conventui, aut eorum successoribus, dictam venditionem a me factam integraliter coram omnibus garantizare, contra omnes defendere et ipsos indempnus fideliter observare, vel, si necesse fuerit, valore ad valorem in nostro proprio hereditagio alibi, ubicunque fuerit, excambiare. Pro hac autem venditione a me dicta Johanna facta et concessa predictis abbatii et conventui ipsi michi dederunt et integre persolverunt sexaginta et decem solidos Turonensium de quibus me tenui et omnino teneo pro pagata, et insuper tricesimum hujus venditionis michi eisdem pertinens quitaverunt. Et ut hoc firmum et stabile deinceps teneatur, presentem cartam sigilli mei noticia confirmavi, per quam et per juramentum meum me et heredes meos ad predicta omnia et singula tenenda de cetero bona fide obligo et relinquo in perpetuum obligatos. Actum anno gracie M CC octogesimo quarto, mense septembbris.